



## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Antidota Evangelica contra horum temporum hæreses**

**Stapleton, Thomas**

**Antverpiae, 1595**

11. Vobis datum esse nosse mysteria regni cœlorum: illis datum non est.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39546**

iubet? Sed voluntatem Dei facere, nunquam  
in Scripturis Caluino placuit, ut alijs adhuc in  
locis Euangelicis videbimus.

## IN MATTHÆI CAP. 13.

II. *Vobis datum est noſſe mysteria regni cœlorum: illis  
datum non eſt.*

**A**D hæc & ſequentia Euangeliſte verba, sparsit impius Caluinus infernalis ſue doctrinæ ſemina, de Deo peccati & cæcitatibus reproborū authore atque impulsore actuo: Affirmat in diuersos fines hominibus à Deo proponi ſalutis doctrinā, & admirabili Dei conſilio ſic temperari, ut non minus odor ſit mortis in mortem reprobis, quam electis odor viuificus. Hæc ille. Vult vtrumque finem ab ipso Deo proponi, & vtriusque effecluſtam exēcationis reproborū quam illuminationis creditum Deum authorem eſſe. Hanc ob causam affirmit Christum hic *data opera obscurius loquitur eſſe, ut multis enigmatis eſſet sermo.* Addit postea ut totum ſuum venenū effundat, Deum duobus modis priuare homines doctrinæ ſue luce: interdum enigmaticè loquendo, interdum verò etiam ſi aperte loquatur, & abque figuris mentem ſuam palam explicet, hebetando tamen illorum ſenſus & stupore percutiendo, ut in plena luce ceculant. Hec ille, ut probet non ſecus eſſe opus Dei exēcationem impiorum quam illuminationem piorum. Idem ex hoc loco & alijs Scripturis docet Inſtit.lib.3.cap.24.num.13. Sed ex ſacra Euāgelij historia non debuit Caluinus tale ſuxisse venenum. Textus ipſe manifeſtē ostendit exēcationis reproborum causam non in Deo, ſed in ipſis

Deus non  
excusat  
reprobos  
actione  
propria.

sis reprobis esse. Ideo in parabolis loquor illis, (ait Christus) ideo sermone obscuro & ænigmatico vtor, quia videntes non vident, id est, quia quum possint videre, nolunt videre. Sicenim postea dicit, Oculos suos clauserunt, id est, ex propria malitia aduertere noluerunt. Non igitur idcirco Christus in parabolis apud incredulos Iudeos loquitur, quia data opera voluit eos excæcare & stupore percutere, ut impius Caluinus ait, sed quia illi improbi & malitiosi erant, qui nec apertissime dicta intelligere vellent. Denique facetur Caluinus, Matthæum in his verbis auditoribus tribuere, vt cæcitatis sue & duritici culpam sustineant: quia quotquot in sensum reprobum concetti sunt, sponte & intrinseca malitia se excæcant & obdurate. Et rursum. In ipsis excæcatis residet culpa, quia sponsata est excæatio. Hæc ille, vbi ex parte auditorum culpam residere quum agnoscat, ea sola cæcitatis causa contentus esse debuit, & non in Deo aliam causam ponere, quod hic Euangelium non docet. Nam eam ipsam ob causam D. Matthæus Esaïæ verba que citat, non iuxta literam hebraicā profert, vbi sicut legitur, *Excæca cor populi huius,* & *Esa. 6. aures eius aggredia, & oculos eius claudie;* que litera quasi iusionem & voluntatē Dei actiuam ponit circa illius populi execrationem; sed iuxta versionem profert: qui sic illa verba verterunt ut sit prædictio prophetica, non iusio diuina, quia reuera in talibus sermonibus Deus non iubet absoluta voluntate quod fieri vult, vel quod facturus est ipse, sed prædicet scientia sua infinita quod futurum est, & quod iusto iudicio suo fiet, subtrahendo quidem gratiam & negando lucem, sed non operando cætitatem, aut stupore percutiendo mentes hominum, aut denique ob hunc finem proponendo doctrinam salutis quibusdam ut ea

H 5

excæcen-

122 ANTIDOTA EVANG.  
excēcentur: quē omnia impius Caluinus hoc loco docet ut semina iaciat tēterimē suā doctrinā, quod Deus est author peccati, non solum permittens illud subtrahēdo gratiam, sed etiam operans illud actiue concurrendo, & voluntatem humānam ad malum impellendo.

Abutitur præterea hoc loco alijs Scripturis ad hanc suam impietatem confirmandam. Esa. cap. 28. ubi denūtiait Deus se Barbarum fore populo qui per regrina & incognita lingua loquetur. & Esa. 29. Visiones propheticas doctis fore librum clausum & ob-signatum in quo legere nequeant: ubi autem apertus fuerit liber, omnes fore idiotas, qui attoniti hærebunt, nescientes legere. Hac

1. Cor. 14 ille. Sed prior locus quid velit, Paulus eadem verba citans satis nos docuit: nempe prophetiam esse futurā Iudæorū incredulitatis, eo ipso tempore quo ex admirabili dono linguarum nouis Apostolis & Dei legatis impertito, varijs linguis loquentur illi, de qua incredulitate ait Esaias, Et noluerunt audire: manifeste docens improbam eorum voluntatem liberam, non solum spontaneam ut Caluinus loquitur, huius incredulitatis causam fuisse. Posterior quoque locus non aliud est, quam similis & eadem prophetia futurā incredulitatis Iudeorum. Docet enim Propheta veteres prophetias fore Iuda is clausas, ut Christum in illis non videant nec intelligent, idque propter velamen propriæ & voluntariae incredulitatis, ut Apostolus docet. Cūm autem conuersus fuerit ad Deum, auferetur velamen. Quæ sane conuersio ut ex diuina gratia proficiscitur, ita quoque ex libera hominis voluntate semeripsum ad Deum conuertentis ortum habet, non secus dicente

Zachar. 1. Scriptura, Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos;  
Thren. 5. quam, Converte nos ad te Domine, & conuertemur. Summa

ma ergo est, hominum propriam malitiam & incredulitatem in causa esse, non solum propinquæ & proxima, sed plane vnicæ, si de causa propriæ dicta loquamur, cur Dei mysteria à multis non capiantur. Quod in Prompt. Cath. circa hæc ipsa Domin. verba latius disputatū vide. Hanc causam in fine Sexages. huius capitî apertissimè posuit Matthæus dicens, *Christum in patria sua non fecisse multas virtutes propter incredulitatem illorum.* Quæ verba manifeste docent, Deum circa incredulos paratum esse suas partes agere, & propter hominum peruvicaciam suam gratiam iustè subtrahere, non ex sola sua voluntate hominum mentes stupore percutere, ut suprà Caluinus docuit. Nunc enim suorum mendaciorum immemor hoc loco ita scribit, hæc verba tractans. *Sanè ita res se habet. Dominus ubi videt virtutē suā à nobis non recipi, tandem eam subducit: & tamē interea cōquerimur eius op̄e nobis deesse, quā nostra incredulitas procul arcit ac repellit.* Vide plura in Marc. c. 6.

## IN MATTHÆI CAP. 14.

9. Propter iussurandum autem iussit dari.

**I**N D V L G E T hic stomacho suo Caluinus, non verbi Dei interpretem sed maledicum & intemperantem conuiciatorē agens. Quum enim ex hoc Herodis iure iurando tum temerario & inepto, tum maiori cum impietate seruato, sana doctrina duplex sacrilegium vitandum colligat, vnum, ne temere Dei nomē assumatur; alterum, ne quod temere iuratum est, cum manifesta impietate seruetur: Caluinus ex hac sana doctrina religioni Catolicæ hanc calumniam struit. *Hinc nascita sequitur, ait, vota monastica, quibus coniuncta est manifesta impietas, non magis conscientiam ligare quam magicos exorcismos,*

Vota monastica defenduntur.